



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa

Jansen, Leonard

Coloniæ Agrippinæ, 1725

Reverendissimo Amlissimóque Viro ac Domino, D. Arnoldo Brewer, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-39911

*Reverendissimo Amplissimoque Viro
ac Domino,*

D. ARNOLDO BREWER,
Ordinis Præmonstratensis Ecclesiæ Knechtste-
denſis ABBATI dignissimo, ejusdemque Ordinis per Circarias
Westphaliæ, Iveldiæ, Wadegotiæ Visitatori Generali, Domino
ac Superiori meo observandissimo.

Reverendissime & Amplissime Domine,

Domino PRÆLATE gratiosissime &c.



Pusculum hoc Theologicum sub

Tuis auspiciis ante quindecim ferè annos à me
cceptum, nunc successivo labore per omnes Tra-
ctatus Morales completum, antequam lucem
videat, gratiosis Reverendissimæ Dignitatis Tuæ
oculis se videndum, legendum, censurandum-
que exhibet, séque totum quantum est, subjicit, dedicat, con-
secratque, ut inde accipiat assistentiam, unde cepit ortûs sui confi-
dentiam: enim verò hic meus qualiscunque labor Tibi Trino
eoque sanctissimo debetur titulo, titulo gratitudinis, quâ benefa-
ctori ac studiorum meorum promotori singulari; titulo amoris fi-
lialis, quâ Patri & Superiori amantissimo; titulo scientiæ, quam
† 2 non

non tantum ex purioribus SS. Theologiæ & sacrorum Canonum rivulis Tibi ipsi abundanter affuxisti, sed & in Tuos quæ informando, quæ sumptus indefessè subministrando uberrimè transfudisti. Parces quod nullo encomio virtutes Tuas perstringam, possem enim præter eximiam scientiam in Te sustollere indefessum disciplinæ zelum, singularem rerum tractandarum dexteritatem, invictum in rebus difficillimis ac penè desperatis animum; possem monstrare Ecclesiam novo à Te splendore exornatam, Monasterium variis ædificiis illustratum, proventibus auctum; & quod Tibi præ aliis cordi fuit, studium Theologiæ & Sacrorum Canonum mediante Tuâ vigilantia & industria in Tuis laudabilissimè consociatum, & à tempore regiminis Tui irremissè continuatum &c. At supersedeo laudibus; solo allidi & pedibus proteri illæ dedicatoriæ litteræ merentur, in quibus nil penè invenire est quàm mercenaria præconia, & adulationum lenocinia: talibus abstineo, nolo esse palpo, nolo haberi meritorum Tuorum tinea, nolo dici aculeata apis ungens & pungens, laudans & lædens, nam & Tua me retrahit modestia; nōsti bonarum mentium esse, malle laude digna facere, quàm laudari, quocirca vacua sunt hæc Tuâ laude scripta, sed non vacuus gratâ memoriâ animus, in quo submississimè subscribor

Reverendissimæ & Ampl. D. Tuæ

Obsequentissimus filius
F. L. JANSEN.

Ad